56. 13. Hinc proverbium apud Zenob. II. 70: βοῦς ἐπὶ γλώττης, vel quia bos mutus est; vel potius quia bos pro nummo quodam atheniensi dicitur, cui bos erat insculptus.

57. 5. Exules Lacedaemonem a Philopoemene reductos dicit Plutarchus p. 651. et 654.; quem priorem Plutarchi locum perperam Schweighaeuserus posuit in Polybii fragmentis libri XXII. 23. Namque is liber in genuino vaticani codicis ordine incipit post alteram paginam. Pertinet ergo potius fragmentum ad librum XXI. Quomodo autem hiatus sententiae sequentis explendus sit, haud scio an significet Plutarchus praedictis locis.

57. 6. Paginae huius nonnisi pauca verba legi queunt.

57. 10. Ariarathis Cappadocum regis legationem ad Romanos mittentis ob impetrandam societatis cum Antiocho veniam, mentio est in excerptis editis lib. XXII. 24. Nunc tamen videtur legatio illa ponenda potius in libro XXI. Recole huius paginae notam 2.

57. 17. Notissima quidem in historiis est clementia Philippi Amynta nati post victoriam ad Chaeroneam; sed quorsus heic ab historico commemoretur, nescio; nisi forte fit invectio in Philippum Demetrii filium; adversus quem certe bellum gerebant Athenienses conspirantes cum Attalo pergameno. Polyb. XVI. 26.

58. 3. Fragmentum hoc de Ptolemaei saevitia extat in editis lib. XXIII. 16, sed male collocatum;

tum; pertinet enim ad librum XXI. Recole notam 2. praecedentis paginae. Refertur res a Valantio ad annum XXII Ptolemaei Epiphanis, qui est urbis romanae DLXXI.

58. 11. Ergo causae belli romani cum Perseo perperam a Schweighauesero collocantur in libro XXIII. 4.

58. 12. Sic scribitur in codice nostro hoc nomen, quod apud Pausaniam VII. 10. ita corruptum est ut urbis nomen videatur. Appianus maced. cap. IX. ff. 3. scribit Ἀβρούπολιν. Et sic etiam Livius XLII. 13. 40. 41.

58. 14. Pangaei montis fodinas auri argentique memorat Herodotus VII. 112.

58. 17. Lege Livium XLI. 22. XLII. 13.

ibid. Rursus lege Livium XLI. 22.

58. 19. Lege Appianum maced. cap. IX. ff. 4. Polyb. XXVII. 7. et praesertim Livium XLII. 15. sqq.

ibid. Confer Livium XLII. 13.

59. 19. Cicero de rep. III. 9.

59. 22. Ita censet etiam Livius XXXIX. 24.

60. 5. Huius hominis mentio est apud Polybium lib. XXIII. 10. XXIX. 10.

61. 2. Ita acephalum posuit hoc fragmentum in codice eclogarius, qui sententiae tantummodo rationem habebat. Extat autem id in editis lib. XXIV. 8. Proverbium vero sequens occurrit etiam apud Suidam voc. δίκης et voc. ἐστί.

61. 7. Hic quoque locus extat cum varietate in excerptis editis XXIV. 8. Tum sequentem versum

sum Stasini poetae esse, iam agnovit ex Clemente alex. Schweighaeuserus.

61. 14. Loquitur Polybius vel per se, vel potius Philippi regis ore, de Persei Demetriique fratrum interneciva discordia.

62. 11. Hinc adhuc manifestius videmus verba haec esse concionantis alicuius; nempe Philippi sine dubio ad filios de capitali crimine apud se disceptantes. Iamque cognoscimus Livium XL. 8. in ea, quam scribit ipse Philippi adlocutione, usum esse polybianis de more opibus, suppresso graeci auctoris nomine. En reapse ut Livius vaticanum excerptum mirifice interpretatur: *quoties ego* (inquit Philippus) *audientibus vobis detestatus exempla discordiarum fraternarum horrendos eventus eorum retuli, quibus se stirpemque suam, domos, regna, funditus evertissent? Meliora quoque exempla parte altera posui; sociabilem consortionem inter binos Lacedaemoniorum reges, salutarem per multa saecula ipsis patriaeque. Eamdem civitatem, postquam mos sibi cuique rapiendi tyrannidem exortus sit, eversam. Iam hos Eumenem Attalumque fratres, a quam exiguis rebus, prope ut puderet regii nominis, mihi, Antiocho, et cuilibet regum huius aetatis, nulla re magis quam fraterna unanimitate, aequasse* etc. Ergo etiam praecedentes subsequentesque eius concionis livianae partes vindicandae Polybio sunt, atque inter huius reliquias a futuro editore referendae: quem magnopere hortor ut Polybium diligentissime et quaquaversus in Livio expiscetur,

tur, iustoque postliminio ad originales propriasque sedes revocet.

63. 6. Sic etiam Plutarchus et Livius XXXIX. 50. veneno extinctum Pilopoemenem dicunt. Cuius rei ignarus Polybii latinus interpres XXIV. 12. Philopoemenis ἀναίρεσιν interpretatus est *caedem;* quasi ferro ictus periisset.

63. 7. Extat hic versiculus cum varietate in editis XXIV. 9.

63. 16. Hanc et sequentem narrationem vindicavit sibi ex Polybio Diodorus siculus, ut vaticana excerpta p. 70. demonstrant; ad quem locum confer adnotationes meas.

64. 17. Polybius usquequaque commendat Scipionem heroa suum; verumtamen hunc Diodorus praedicto in loco paulo superbiorem recte pronunciat: nemo enim in rep. libera legibus est superior.

64. 20. Agri cum proprio detrimento vastati mentio est lib. XXV. 3. Quare illuc fere pertinere hoc fragmentum videtur.

65. 13. De solitis in Creta civilibus dissidiis et crudelitatibus confer Polybium IV. 53. sqq. XXVII. 16.

65. 15. De Aristaeni ac Philopoemenis contrariis in rep. consiliis, et quomodo uterque erga Romanos se gereret, legendus est Polybius XVII. 13. XXIII. 10. XXV. 9; cui postremo loco addenda sunt vaticana quae sequuntur excerpta. Legendus item Plutarchus in Philopoemenis vita p. 644. 653. 654.

65. 19. Hic et sequens versiculus relinquitur im-

imperfectus in ipso codice, quia fortasse eclogarius ex oblitterato aut corrupto antiquiore codice exscribebat.

66. 10. Hactenus verba Aristaeni sunt.

66. 20. Relinquuntur in codice duo spatia.

67. 8. Polybius in fragmento historico LXIX. (ed. Schw. tom. V. p. 74.) mentionem facere videtur Tyanorum obsessorum. Fortasse autem in rebus Cappadociae, quas copiose Polybius scripserat, calamitas Tyanorum narrata fuit; si certe ad aetatem polybianae historiae pertinuit.

67. 14. Sic loquitur apud Homerum Hector Iliad. VI. 447. sqq.

67. 16. Sic fere apud Plutarchum p. 654. loquitur Philopoemen adversus Aristaenum.

68. 6. Conspirat plane cum sententia propria Polybius XXV. 9.

68. 8. Confer Polybium XVII. 13. Livium XXXII. 19. sqq. XXXIII. 2.

68. 10. Lege mentionem huius victoriae apud Polybium XXVII. 8; ad quem librum apparet pertinere vaticanum excerptum. Confer praeterea Appianum maced. ecl. X; praesertim vero graphicam Livii narrationem XLII. 58. sqq., ut iam in notis admonuit Schweighaeuserus.

69. 6. Thebani huius Clitomachi statuam a parente ei positam, numerumque victoriarum eius recenset Pausanias VI. 15; itemque Suidas.

69. 10. Aristonicum eunuchum Ptolemaei (epiphanis) hominem fortem supra eunuchi conditionem, et bellicosum celebrat Polybius XXIII. 17.

17. Sed quis credat eunuchum extitisse pugilem olympicum?

71. 7. Intellige ingratum animum quem prae se tulisse videbantur Graeci, qui liberati olim per Romanos a Philippi dominatu, nunc Persei victoria de Romanis gaudebant.

72. 1. De Hippia Persei familiari et legato confer Polybium XXVII. 7. XXVIII. 9.

72. 8. Appii Centonis litterae petentes ab Achaeis militaria auxilia.

72. 11. Hic brevis tractus, iam inde a vocabulo ἀναχωρήσας, extat in editis XXVIII. 11. Et in codice quidem abrumpitur narratio post στρατιωτῶν; verum ea in editione continuatur. Ego vero hoc fragmentum vaticani codicis in meo libro retinui, tum quia initio variat ab editis, tum ut lector agnoscat, quonam pacto abrumpatur interdum in his excerptis constantinianis oratio; quotiescumque scilicet eclogario nihil praeter γνώμην, aut notabile aliud, ponere placuit.

72. 12. De hoc homine legesis Diodori excerpta vaticana p. 75. cum scholiis meis. Meminit autem huius belli Polybius XXVIII. 16. sqq.; quae fere sedes adsignanda est vaticano excerpto.

72. 14. Scilicet propter sanctitatem asyli, quod in Samothracia insula fuisse exploratum est. Quare et Perseus victus illuc confugit. Utrum tamen Ptolemaeus philometor reapse eodem profugus in pueritia venerit, non memini me apud alios historicos legere.

73. 1. Sermo est de Ptolemaeo philometore, cuius in annalibus Lagidarum non inglorium nomen

men est. Is obiit victor in Syria ex vulneribus in proelio acceptis. Euseb. chron. I. 22. ed. Mediol.

73. 12. Loquitur Polybius de iis qui Romae belli macedonici administrationi maledicebant. Sane Paulus Aemilius, auctore Livio XLIV. 22, tota in concione sua apud populum queritur de otiosorum hominum sermunculis, qui negotium ducibus eius belli facessebant. Polybium scilicet de more suo expilat praedicta in concione Livius, rursumque cap. 34.

73. 18. Sunt hae abruptae sententiae, quas eclogarius pro suo vix laudando instituto ex Polybio decerpsit.

74 2. Pertinent haec ad initium libri XXIX. Exorditur autem Polybius narrationem suam de arcanis Persei Eumenisque inter se deliberationibus propter bellum macedonicum Romanorum. Sed eclogarius abruptum more suo fragmentum posuit propter illi inhaerentes sententias.

74. 14. Cydae cretensis meminit Polybius etiam XXIII. 15.

74. 19. In partibus historiae amissis.

75. 7. Ante bellum persicum bis Romam venit Attalus. Polyb. XXV. 4. 6. Bis item post illud bellum. Polyb. XXXI. 9. XXXII. 3.

75. 10. Rem explicate narrat Polybius XXX. 17.

75. 17. Pudet me propemodum Livii plagiarii. Is enim sequentem quoque narrationem Polybii exscribit lib. XLIV. 25.

75. 18. Intellige Philippi macedonis crudele bellum cum Attalo seniore pergameno. Polyb. XVI. 1.

77.

77. 4. Itali vel potius Orobii mei graeca heic imitatione dicerent: *cadeva nella rete lungo e disteso.*

77. 18. Hunc hominem memorat Polybius etiam XXIX. 5, patrem nobilissimi obsidis Limnaei.

78. 5. Notemus vocabulum πρόδομα.

78. 6. Hinc Virgilius, *auri sacra fames.*

78. 7. Livius simpliciore locutione: *ita, nequicquam inter se captati, nihil praeter infamiam movere.*

78. 11. Polybio suffuratus est hanc sententiam Eunapius in excerptis nostris vaticanis p. 269.

80. 12. Abrumpitur Polybii narratio propter codicis defectum. Verumtamen eam prosequitur Livius, quem pro Polybio iure habebimus. Tum de Persei tractatu cum Gallis confer Polybii fragmentum XXVI. 9; de tractatu cum Gentio XXVIII. 8; item Diodorum in vaticanis excerptis p. 73.

80. 14. Patet hunc esse novi libri prologum, in quo Polybius historicos illos ridet qui ob penuriam argumenti sui extra rem vagantur. Se vero parce potius et adstricte scribere ait. Item petit involuntariorum mendorum veniam.

81. 19. *Phanotiam* et *Phanoteum* scribi huius urbis phocensis nomen, auctor est Stephanus byz., citato Thucydide IV. 76. Apud Livium XLV. 26. occurrit etiam *Phanota* Epiri. De bello autem ad Coronaeam vide praedictum Thucydidem I. 112.

82. 5. Imitatur hunc Polybii locum Fronto de orat. ed. rom. p. 241; quo loco verbosos pariter

 et

et ineptos scriptores ridet: *dicendum est de fortuna aliquid? omnis ibi fortunas antiatis, praenestinas, balnearum etiam fortunas omnis, cum pennis, cum roteis, cum gubernaculis, reperias.* Aliám Polybii apud Frontonem imitationem demonstravimus in hoc volumine p. 400. n. 1.

83. 2. Recole Polybium v. gr. lib. XVI. 20; et in vaticanis excerptis p. 385. Eamque sententiam videtur partim imitari Fronto princip. hist. ed. rom. p. 314.

83. 7. Sic loquitur Polybius etiam in fragmento edito lib. XXXIII. 9. Plane vero expilat postremum Polybii locum Diodorus in excerpt. vat. p. 88, seu lib. XXXII. 2.

93. 9. Scilicet Aemilius Perseum antea graece adlocutus fuerat; deinde latine cum ceteris verba fecit, tum quia hi Romani erant, tum ut Perseus nihil intelligeret. Hinc autem cognoscimus Livii XLV. 8. plagium, qui recitata oratione, quam Aemilius ad Perseum habuit, subdit: *haec graeco sermone Perseo, latine deinde suis* etc. Ergo utraque oratio apud Livium occurrens ex Polybio derivata fuit. En autem ut posterior oratio cum reviviscente nunc Polybio congruit: *Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. Vobis hoc praecipue dico, iuvenes. Ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec praesenti credere fortunae; quum, quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cuius animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa*

versa

versa infringet. Polybium ipse quoque Diodorus siculus valde imitatus est, ut excerpta mea vaticana demonstrant p. 78.

83. 22. Rursus videmus Diodori plagium (excerpt. vat. lib. XXXI. 5.) si certe ex Polybio exscripsit, ut valde arbitror, non ex ipso Demetrio: quamquam lectionis varietas me prope ambiguum reddit.

85. 14. Ita Livius XLV. 9, qui Demetrii quidem locum ex Polybio non exscripsit, sed tamen prae oculis se habuisse demonstrat.

86. 10. Polybium sollerter contrahit Diodorus in excerptis meis vat. lib. XXXI. 6. Meminit rei etiam Livius XLV. 34. Porro hanc Eumenis historiam in trigesimo pono Polybii libro, quoniam quae sequitur apud Diodorum praedicto loco Prusiae historia, sumta ut puto ex Polybio, ea pertinet ad trigesimum librum.

86. 12. Bellum antiochicum in Aegypto pertinere ad librum XXXI, satis mihi videor ex reliquiis editis libri colligere.

86. 13. Legendus hac super re Livius XLV. 11 sqq. Tum etiam Diodorus excerpt. vat. p. 76.

87. 13. Pertinet fortasse hoc fragmentum ad criminationes varias, quas legati exterarum gentium ad senatum romanum detulerunt. Polyb. XXXI. 6. sqq. Et quidem potissimum cogitandum puto de accusationibus adversus Eumenem quas romanus Sulpicius per Asiam publice provocabat (cap. 10.)

87. 21. Livius XLV. 27. de Aemilio Delphos profecto: *inchoatas in vestibulo Apollinis co-*

lumnas, quibus imposituri statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinavit.

88. 1. Ludos magnificos ab Aemilio in Graecia editos legesis apud Livium XLV. 33. Imitationem horum splendidiorem ab Antiocho in Syria curatam tradidit Polybius XXXI. 3.

88. 3. Polybii sibi vindicavit hunc locum Diodorus in excerptis vat. lib. XXXI. 4. Livius autem XLV. 32. Polybii verba adamussim interpretatus est: *vulgo dictum Aemilii ferebant, et convivium instruere et ludos parare, eiusdem esse qui vincere bello sciret.* Fronto princip. hist. ed. rom. p. 322: *ex summa civilis scientiae ratione sumpta videntur, ne histrionum quidem, ceterorumque scenae aut circi aut harenae artificum indiligentem principem fuisse.* Et fer. als. p. 209. *Traianus summus bellator, tamen histrionibus interdum sese delectavit, et praeterea potavit satis strenue* etc.

88. Peraeae regionis, in opposita Rhodo insulae continente, mentio est etiam in excerptis editis huius libri XXXI. 25.

89. 2. De simultate Romanorum cum Eumene Polybius XXXI. 9. 10.

89. 6. Artaxias Armeniae regulus. Polybius XXVI. 6.

89. 17. M. Porcius Cato.

90. 2. Bis sibi hanc narrationem vindicavit Diodorus in excerptis vat. lib. XXXI. 1. p. 87. et XXXVII. sqq. p. 114. Vel potius eclogarii qui Diodorum excerpserunt bis eundem locum cum varietate aliqua posuerunt: cuiusmodi complures re-

repetitiones in iure quoque iustinianeo ab eclogariis illis iurisconsultis factas esse, iamdiu observatum est.

90. 5. Confer Diodorum in excerptis vat. lib. XXXII. 2.

90. 15. Imitatur Polybium de Romanis loquens Cicero pro Flacco XII: *haec ratio et magnitudo animorum in maioribus nostris fuit, ut quum in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti, tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. Quaeritur enim in re domestica continentiae laus; in publica, dignitatis.*

91. 1. Caedem certe quingentorum et quinquaginta Aetolorum a Lycisco patratam memorat Livius XLV. 28.

91. 9. Nondum quicquam legi apud historicos de huius Lycisci laudabili obitu.

91. 16. Mentio huius est apud Polybium in excerptis editis XXXIII. 12. Ariarathis frater hic erat; isque post varias vices regnare in Cappadocia cum fratre a Romanis iussus fuerat. Sed deinde novis turbis commotis, Ariarathes totum imperium sibi vindicavit. Zonaras IX. 24.

92. 8. Loquitur Polybius de Ariarathis pulsi a fratre Holopherne restitutione in regnum, quam memorat etiam in editis XXXII. 25.

92. 2. Scilicet Ariarathes Romam confugerat.

92. 10. Intelligit Polybius Oropi ab Atheniensibus patratam vastationem; unde illa philosophorum legatio celebris ad Romanos. Gell. VII. 14.

93. 5. Hunc cum anagrammate appellat Timotheum Diodorus siculus ed. Wessel. tom. II. p. 588. (Num hic erat Heracleae tyrannus, ut ille vetustior apud Diodorum XVI. 36?) Ariarathis vero et Holophernis vicissitudines habes apud eundem Diodorum tom. praed. p. 518.

93. 7. Etiam in fragmentis lib. XXXI. 16. Polybii editis post res Ariarathis ponuntur res Rhodiorum; et quamquam aliae ibi sunt narrationes, tamen Rhodiorum nescio quae calamitas innuitur.

93. 18. Pauca haec, quae uncis inclusi verba, citaverat Suidas voc. σωματοποιεῖν, eaque Schweighaeuserus inter grammatica Polybii fragmenta retulerat tom. V. p. 98. Nunc vero et historicum esse fragmentum noscimus, et sedem eius propriam feliciter deprehendimus.

94. 12. Posthinc breve spatium relinquitur in codice, ita ut videatur fieri transitio ad alium librum. Neque fere dubitandum est, quin sequatur exordium narrandi punici belli tertii. Quare satis incertum est cuinam libro, post XXXII, hoc quod subteximus prohoemium adsignandum videatur.

95. 9. Quod noluit facere Polybius, nempe ut orationes poneret quae in senatu romano habitae fuerunt, quum de bello tertio punico deliberaretur, id fecit quum deliberaretur de secundo Dio Cassius, ut vaticana excerpta a me inventa capp. LXVIII. sqq. demonstrant.

96. 2. Existimo laudari a Polybio Demetrii phalerei auctoritatem, non autem verba fieri de suscipiendo adversus Demetrium syrum bello. Alioquin

quin dicendum esset κατὰ τοῦ Δημητρίου. Tum et sequentia vix cohaererent.

96. 15. Sic loquitur de Carthagine Cicero de rep. lib. I. fin., sine dubio ad Polybium respiciens.

99. 18. *Philippus* (inquit Livius XLII. 52.) *Persei natura frater, adoptione filius: minor, quem Alexandrum vocabant, naturalis erat.* Hinc idem Livius XLV. 42. non Philippum, sed Alexandrum, cum Perseo ductum Albam in custodiam dicit. Sed tamen etiam Philippus in Aemilii triumpho apparuisse videtur. Liv. cap. 39. Non solum falsum Philippum, verum etiam falsum Alexandrum, rebellantem in Macedonia exhibet Zonaras IX. 28.

100. 14. Consul hic erat anno quo coepit bellum punicum tertium. Confer Scipionis somnium.

100. 20. Incognitum erat in historia hoc Polybii iter. Apparet autem romanum consulem uti voluisse consiliario Polybio in gerendo bello. Atque ita reapse nonnullos post annos accidit ut Polybius Scipionis minoris Carthaginem oppugnantis latus tegeret.

102. 6. Insignis est hic vaticani codicis locus ad refutandos Casaubonum, Fabricium, Reiskium, et Schweighaeuserum, qui Polybium megalopolitanum libro XI. 15. memoratum, negant esse hunc nostrum historicum; sed paulo seniorem credunt, et historici fortasse patruum aut avum. Ergo in praedicto etiam loco sine dubio intelligendus est noster historicus.

102. 8. Lycortae (qui pater Polybii historici

fuit)

fuit) dissensio et contentiones cum Callicrate, ex ipso Polybio XXIX. 8-10. cognitae sunt.

103. 7. Narrationem hanc vindicavit sibi ex Polybio Diodorus in vaticanis excerptis a me editis lib. XXXII. 6, sed cum insigni in legatorum nominibus varietate.

104. 10. Semina haec sunt lucretianae doctrinae, quam iamdiu docti homines refutaverunt. Et quidem quum in ethnicis scriptoribus versemur, haud mirum est siquid hi praeter christiani dogmatis pietatisque regulas ob suam inscitiam aliquando loquuntur.

105. 2. Praeclara Polybii doctrina! Reapse enim qui divinam providentiam fatentur, ad eamque rationes suas accommodant, grande malorum solatium inveniunt, et vitam recte sapienterque componunt.

108. 12. Videtur ergo errare Schweighaeuserus qui bellum achaicum in quadragesimi libri fragmentis posuit. Et quidem e vaticanorum excerptorum clausula mox cognoscemus, in quadragesimo libro chronologiam potius et recensionem librorum polybiani operis extitisse. Sane eodem anno bellum tum achaicum tum punicum profligatum fuit; sed tamen achaicum paulo ante. Vide Livii epitomen lib. LII. Recte ergo in vaticanis Polybii excerptis achaicum excidium punico praeit.

109. 10. Sine dubio heic habemus polybiani libri prohoemium, cuius artificium naviter imitatur Diodorus in vaticanis excerptis lib. XXXIII. 1.

110. 19. Loquitur de gravissimis conditionibus, quas Atheniensibus Lacedaemonii imperave-

verunt post victoriam ad Aegospotamos. — Ut Polybius graecas calamitates occasione belli achaici recensuit comparandi causa; ita huius imitator Diodorus occasione belli italici, bella vetera insigniora enumeravit atque inter se contendit.

110. 22. Adhuc pergit dicere Polybius de Lacedaemoniorum in victoriis severitate. Narrat autem Diodorus XV. 12. uti Mantinenses a Lacedaemoniis victi animas quidem retinuerint, sed tamen urbem suam exscindere et pagatim habitare iussi sint.

111. 5. Intellige Alexandrum pheraeum. Multa vero pars huius paginae legi nequit: quare et interpretationem nec integram nec satis tutam facio.

112. 14. Videtur mihi respexisse ad Polybium Fronto princip. hist. (ed. rom. p. 314) scribens: *ceteri mortales praesenti die mentiuntur; scribtorum mendacia tam culpam quam memoriam merent sempiternam.*

112. 20. Testis Pausanias VIII. 50. 57.

115. 3. Legendus est de his rebus Diodorus siculus.

115. 6. Socer hic fuit Pyrrhi magni epirensis, auctore Plutarcho in huius vita cap. IX. a quo scribitur Βαρδύλλιος.

115. 7. De Cersoblepte Diodorus XVI. 34. 71.

117. 5. Oblitterata pagina est. Sed lacunam eius certissimo supplemento sarcit Appianus pun. capp. CXXXI. CXXXII, qui diserte ait se in Carthaginis excidio narrando Polybium sectari. Itaque futurus Polybii editor utrumque Appiani

 ca-

capitulum Polybio restituet, quod iam partim fecit Schweighaeuserus.

117. 14. Loquitur Polybius de Scipionis sapientibus dictis et cogitationibus in Carthaginis excidio, quae sunt apud Appianum.

118. 2. Diaeo Achaeorum praetori valde meritoque maledicit Polybius etiam in fragmentis editis libb. XXXVIII. et XL; eumque gentis suae pestem appellat. Heic autem Polybius Diaeum obiurgat ob recusatas ab eo, quae Romani offerebant, pacis conditiones.

118. 3. Confer Zonaram IX. 31.

119. 6. A Polybio igitur comite magistroque suo sumpsit hanc sententiam Africanus iunior, qui ut ait Valerius Max. IV. 1. 10. in censura precum publicarum formulam immutavit; rogari nempe deos iussit non ut res romanas meliores amplioresque facerent, sed ut deinceps incolumes conservarent.

119. 17. Recole Polybium lib. I. 5.


120. 5. Polyb. II. 69. III. 32.

120. 9. Videsis Euseb. chron. lib. II. ed. Mediol. p. 353.

121. 4. En novum titulum constantinianum, in quo excerpta fuisse videntur libri quadragesimi. Quamquam *μ. λόγου* est in secundo versu post *λόγου λθ.* De rerum inventionibus scripserant graeci Ephorus et Scamnon, teste non semel Athenaeo, item Pilochorus et Phylarchus, auctore Suida in iisdem. Inter latinos legesis Hyginum fab. CCLXXIV, Plin. hist. VII. sect. 57. Vocabulum *ζήτει* a me scribitur. Namque *μ. λόγου* est qui-

quidam vel ornatus vel nexus litterarius, quem non explico, sed tamen in aerea tabula, cum paginae huius extrema parte, incidendum curavi.

121. 6. Num hic est novus titulus *de apophthegmatibus?* An potius idem est, ac ille περὶ γνωμῶν *de sententiis*, qui universum codicem occupat? Profecto mos erat veterum repetendi operis titulum in voluminis fine.



PO-

POLYBII

Ordo foliorum restitutus.

				Polyb. ed.		
Q. I.	p.			◡		
		79.	80	◡	93.	94.
		115.	116	◡		
		63.	64	◡	77.	78.
			Eunap. ined.			
			Polyb. ed.			
Q. II.	p.	33.	34	◡	43.	44.
		5.	6	◡	7.	8.
		85.	86	◡	87.	88.
				◡		
Q. III.	p.	83.	84	◡	89.	90.
					Polyb. ined.	
		21.	22	◡	23.	24.
				◡		
		53.	54	◡	55.	56.
			Polyb. ed.			

Po-

Polyb. ined.

Q. IV.	p.			⌣		
		19.	20	⌣	25.	26.
		51.	52	⌣	57.	28.
		[65. ed.]	66	⌣	75.	76.
Q. V.	p.	15.	16	⌣	29.	33.
		67.	68	⌣	73.	74.
		1.	2	⌣	11.	12.
		99.	100	⌣	109.	110.
Q. VI.	p.	[ed. 37.]	[ed. 38]	⌣	39.	40.
		3.	4	⌣	9.	10.
		[ed. 49.]	50	⌣	59.	60.
				⌣	13.	14.
Q. VII.	p.	105.	106	⌣	103.	104.
		95.	96	⌣	113.	114.
		17.	18	⌣	27.	28.
				⌣		
Q. VIII.	p.	31.	32	⌣	45.	46.
		35.	36	⌣	41.	42.
		97.	98	⌣	111.	112.
		69.	70	⌣	71.	72.

COR-

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Errores vel mei, vel operarum in accentibus, quorum minutae formae oculos saepe fugerunt, hi corrigendi sunt: pag. 3, not. 3, εὐφυεῖς. 4, 13, εἰρήσθω. 17, 4, δύντα. 17, 11, χρυσῆν. 19, 9, ποτέ. 21, 4, μάλιστ' ἄν. sed fortasse non uno hoc loco apostrophum neglexi. 30, 19, Ἐπαμινώνδας. 33, 14, μερῶν. 43, 19, οἵ γε. 48, 3, Σκόπα. 55, 9, Φιλοποίμενι. 74, 9, κατηνέχθην. 75, 8, σφίσι.

Tum p. 20, not. 1, non inspexeram Niebuhrii Hist. Rom. Tom. I. p. 176, Edit. III: quem hoc fragmentum non latuit. P. 30, 15, quod pro ἕνεκα reposui ἔνθα καὶ, ne nunc quidem displiceret, nisi verissimum arbitrarer ἡνίκα, quod Polybius usurpat. P. 40, 1, correctio ἔμφασιν, pro φάσιν, nunc minus mihi probatur. Dubius sum, quoniam utroque utitur auctor.

P. 22 sq. Etsi a meo consilio alienum erat de fragmentorum ordine et cum editis coniunctione disputare, quum tamen de Callisthene paulo accuratius perquirerem, non potui quin edita cum Maianis compararem. Nam huius fragmentum κατηγορεῖν καὶ θείας εὑρεῖν — τετευχέναι τούτων ὧν ἔτυχεν, ex eodem Polybii loco desumtum est unde ed. Vales. XII, 23; sed quo nexu iungenda sint dif-

difficile perspectu est. Caput editum 23 non integrum esse apparet: quippe verba πλὴν εἰ Καλλισθένην θετέον κ. τ. λ. cum praecedentibus in eodem capite minime cohaerent, sed optime sequentur statim post τούτων ὧν ἔτυχεν (vid. supra p. 23, 5). Verum πλὴν a Polybio crebro usurpatur postquam a proposito parumper deflexit eoque revertitur: quo argumento videri possit, ea quae πλὴν praecedunt, ab initio inde capitis, movenda non esse, locumque suum facile tueri, si post Maiana illa τούτων ὧν ἔτυχεν, copulentur verbis ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τοῦ Ἐφόρου, vel simili vinculo. Mihi hoc satis probari dicerem, nisi nollem dissimulare difficultatem: nam in fine capitis Valesiani haec sunt: περὶ μὲν οὖν Ἀριστοτέλους, καὶ Θεοφράστου, καὶ Καλλισθένους, ἔτι δ' Ἐφόρου καὶ Δημοχάρους, ἱκανὰ τάδ' ἡμῖν ἐστι πρὸς τὴν Τιμαίου καταδρομὴν, ὁμοίως δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἀφιλοτίμως πεπεισμένους ἀληθεύειν τὸν συγγραφέα τοῦτον: unde colligitur, Ephorum quoque a Polybio defensum esse contra maledicentiam Timaei. Quis tamen credat totam illam defensionem absolvi verbis his, κατὰ τοῦ Ἐφόρου Τίμαιος πλείστην πεποίηται καταδρομὴν, vel respici fragm. Maianum p. 380 (p. 14, 10 sqq.), ubi ostendit Polybius immunem esse Ephorum erroris, cuius eum Timaeus insimulaverat? haec enim obiter attinguntur, nec quantum satis erat πρὸς τὴν Τιμαίου καταδρομήν. Igitur relinquitur, Ephori defensionem collocatam fuisse ante fragm. Maianum, eo loco ubi in Codice lacuna est duarum paginarum, eaque omnia cadere in cap. 23 ed. inter verba ἐντίκτων δόξας τοῖς ἐντυγχάνουσι et

πλὴν

πλὴν εἰ τὸν Καλλισθένην. Qui haec aliaque eiusdem generis perscrutari volet, hunc meminisse oportebit, compilatores Constantinianos, quo magis ea quae describenda sumsissent eorumque occasio intelligerentur, saepe proxime praecedentia auctorum verba contraxisse, vel alia ratione expressisse. Id si magis cogitavissent Excerptorum editores, non omisissent ea quae vel ex integris quinque primis libris Polybii excerpta sunt, vel in alio titulo iam exstabant. — Caeterum in epilogo illo capitis 23 lib. XII advertit me omissio quaedam: citantur ibi nomina Aristotelis, Theophrasti, Callisthenis, Ephori et Democharis, quorum causam adversus Timaeum egerat Polybius. De Theophrasto, cuius defensio nunc desideratur, satis fecit Valesius; sed miror interpretum neminem retrospexisse l. XII, c. 15, ubi calumniator Agathoclis Timaeus non refellitur quidem, sed demonstratur quibus virtutibus ille excelluerit: subiungit autem Polybius, male historici munere fungi, qui minus recte facta maligne exponat, praeclara facinora taceat. Coniuncta est haec Agathoclis defensio cum altera Democharis, quae praecedit, neque adeo credibile est, nomen Agathoclis a Polybio in hac veluti capitis summa omissum esse. Fuit fortasse prope nomen Ἀριστοτέλους, exciditque propter similitudinem. — Haec sufficiant de copulando utroque fragmento; sed quae p. 23 in not. dixi de verbis Arriani, IV, 10, iis hoc addere lubet: ipsi Arriano tantam Callisthenis arrogantiam suspectam fuisse, hac exceptione utenti: εἴπερ ἀληθῆ ξυγγέγραπται. Mihi

hi autem hinc probabile fit, Callisthenis librum Arriano ad manum non fuisse, neque eum cogitavisse de interpolatione, post auctoris interitum ab inimicis facta. Praeter hunc locum nusquam, quod sciam, utitur Arrianus Callisthenis testimonio: ne eo quidem loco, ubi Alexandri iter ad Hammonem refert, quamquam de duobus corvis consentiebant Aristobulus et Ptolemaeus, quos Arrianus potissimum sequebatur: vide hunc L. III, c. 3, 4, et Callisthenis locum in Strab. XVII, p. 1168. Itaque illam cautionem, *εἴπερ ἀληθῆ ξυγγέγραπται* sic interpreter, ut Arrianus philosophi verba ex alio scriptore, Callistheni adversante, citaverit. Sanctocrucio certe (Ex. Crit. p. 37 sq.) non suffrager coniectanti, post interemtum Callisthenem huius commentariis eiusmodi adulationem, qualem memoravimus, ab inimicis illatam esse. Quid enim? hi adversarii apud Regem, cui blandiri studebant, gratiam inire non poterant, si philosophum hunc ea scribentem facerent, quae Alexandro placitura eumque interfecti Callisthenis desiderio affectura essent: porro minime verosimile est, nec edendorum librorum apud Veteres rationi consentaneum, nihil eorum commentariorum, quos in castris Alexandri condebat Callisthenes, in lucem et hominum sermonem ante huius necem venisse. Aristobulus quidem, unus e comitibus Alexandri, non modo provectissima aetate historiam Regis inchoavit, sed ne vulgare quidem voluit ante huius mortem, teste Arriano in praefatione: sentiens ille, ut opinor, vivo Alexandro libere scribi non posse: et quis-

quis fuit, quem Lucianus (Quom. hist. conscr. c. XII) vitio Aristobulum vocat, quique in Hydaspe a Rege demersus dicitur, quod absurda de huius cum Poro certamine commentus esset, item documento est ea, quae in castris Alexandri historici huius conscriberent, Regem celari haud diu potuisse. Polybius autem, indicio excellens scriptor, reprehendit quidem, nec tamen falsam esse contendit Timaei hanc sententiam, corruptam esse Alexandri indolem nimiis ac divinis prope honoribus, quos scribendis Commentariis in eum contulisset Callisthenes, indeque ortam esse Regis insaniam, divinum cultum petentis. Atqui absolvitur ista culpa Callisthenes, si Alexander ante huius mortem illos libros ignoravit. — Post Sanctocrucium et Luzacium (Lectt. Att. p. 187 sqq.) de Callisthenis rebus et scriptis et ingenio cum fructu disputari posse arbitror.

Denique, ad p. 102, 7, haec commentatus est Hamakerus noster:

« De sublatis Callicratis et restitutis Lycortae statuis hic agi manifestum est: at qua opportunitate ista res acciderit, et quomodo verba obscura et forte corrupta intelligenda sint, minus ex ipsa loci natura, quam ex brevi illorum temporum descriptione perspicitur.

« Confecto bello Persico cum decem legati missi essent, qui res Macedoniae constituerent, et de illis regibus et populis quaestionem haberent, qui Regi Perseo contra Romanos vel favissent, vel auxilia tulissent, ex his legatis duo C. Claudius et Cn. Domitius ad Achaeos missi sunt ut eos edicto

ad

ad caussam dicendam evocarent: cf. Liv. L. XLV. c. 31, qui paene verbotenus transtulit Polybium fragm. L. XXX. c. 10. Adde Paus. in Achaïcis, c. 7. §. 7. Ea tempestate inter praecipuos Romanarum partium fautores erat Callicrates, vir pessimus, qui iam olim legatus patriae suae libertatem Romanis prodiderat (Polyb. L. XXVI. c. 1 sqq.) et quum Perseo Achaeorum amicitiam quaerenti acerrime restitisset, (Liv. L. XLI. c. 23.) eodem debellato in Macedoniam profectus, gentis suae nomine victoriam Romanis ducibus gratulatus et adversae factionis viros, ut occultos et subdolos Persei auxiliatores, criminatus erat (Polyb. L. XXX. c. 10). Illius igitur maxime calumniis effectum est ut Xenon, Polybius et mille circiter alii principum Achaeorum, in quibus etiam, ut puto, Lycortas Polybii pater fuit, Romam ad caussam dicendam mitterentur, et tamquam a popularibus suis damnati in diversa Italiae oppida senatus iussu exulatum ablegarentur. Vide imprimis Paus. l. l. c. 10. His igitur patria avulsis Callicratis et Romanorum iniquitate honores ademtos esse, quos a civibus acceperant, ex Plutarchi testimonio efficitur, in Catone Maiore p. 341 B. Polybium, impetrato ad extremum exulum reditu, hoc praeterea postulasse, ὅπως ἃς πρότερον εἶχον ἐν Ἀχαΐα, τιμὰς οἱ Φυγάδες ἀναλάβοιεν. Ergo si quae viris bene meritis tum in exilium pulsis statuae positae fuerant, has quoque deiectas fuisse verosimile est. Videmus enim postea, capta Corintho et Achaia in servitutem redacta, periculum fuisse ne ipsius statuae honoresque tolleren-

 tur

tur Philopoemenis, viri Romanis minime infensi et dudum defuncti, quanto magis Lycortae et reliquorum, quorum et fides suspecta et aetas integra esset. Vide Polyb. fragm. L. XL. vel potius XXXIX. c. 8. collatis fragmentis Vaticanis p. 459 sq. Iam haec quae diximus acciderunt A. U. C. 585, non 588, ut in *testimoniis veterum* de Polybio ait Schweighaeuserus p. 8, exulesque Achaei indicta caussa in Italia detenti sunt annos septemdecim, Callicrate, Andronida et Menalcida, quantum ex Pausania intelligitur l. l. c. 11 sq., interim rempublicam Achaicam vexantibus. Callicrates tamen, quem omnes exsecrabantur (Polyb. fr. L. XXX. c. 20), impedire non potuit, quominus Achaei saepius a Romano Senatu libertatem et reditum evocatorum peterent (Polyb. fr. L. XXXI. c. 8. XXXII. c. 7. XXXIII. c. 1. et c. 15). Res tandem aegre concessa est A. U. C. 602, vel potius 601 exeunte, licet Schweigh. l. l. p. 10 annum ponat 604, cum ex suo computo A. 605 praeferre debuisset. Vivebat tum adhuc et vigebat, ut statim apparebit, Callicrates, cuius mortem minus accurate ad hunc ipsum annum refert Heerenius, *Handbuch der Gesch. der Staaten des Alterthums*, p. 342. Quapropter verosimile est Romanos ea maxime de caussa exules dimisisse, ut Polybianae et Callicrateae factionis contentionibus turbas Achaïcas augerent et sic faciliorem sibi viam ad Peloponnesum occupandam munirent. Polybium quidem ipsum, suarum partium, patre defuncto, principem, Romae mansisse statuerunt Beckius, *Anleit. zur Kenntn. der Allgem. Welt-*

und

und Völkergeschichte, T. II. p. 105, et Schlosserus, *Weltgesch. in Zusammenh. Erzähl.* T. I. p. 536; sed meliorem esse sententiam Schweighaeuseri l. l. p. 12, ex Pausaniae loco in Arcad. c. 37 efficientis, Polybium cum reliquis exulibus in patriam rediisse, et prudentibus consiliis Graecos in interitum ruentes servare studuisse existimantis, ostendit locus nunc editus a Maio p. 447, n. VII. ubi narrat Polybius se literis Manilii Consulis bellum Punicum tertium parantis evocatum fuisse Lilybaeum: id enim reipublicae interesse. Ergo ineunte vere se navigio esse profectum, cumque Corcyram venisset et accepisset obsides datos esse a Poenis, bellum iam confectum suamque operam inutilem futuram iudicasse atque in Peloponnesum rediisse. Unde primum hoc discimus, exules, quemadmodum ante diximus, iam A. 601 in Achaiam esse reversos, cum hoc iter Polybianum pertineat ad initia consulatus Manilii, i. e. anni 602. Caussa autem evocandi longe alia fuit, quam sibi persuasit Polybius. Nam Graeculi praeceptis in bello gerendo Consul Romanus facile caruit, at specioso argumento eum ex Graecia abducere volebat, ne bonis consiliis patriae prodesset et Graecos ad concordiam et prudentiam cohortando Romanorum rebus officeret. Quo factum est etiam ut biennio post P. Scipio Aemilianus, Carthaginem aggressurus, hominem veteris amicitiae specie ad se vocaret, ne scilicet interea Achaei aptum ducem haberent et prudentem, quem Romanis opponerent. Hoc ipso biennii intervallo, quod Polybium in patria transegisse verosimile est, gra-

 vis-

vissimae exortae sunt inter Achacos et Spartanos de iurisdictione controversiae, de quibus fuse exponit Paus. in Achaïcis c. 12 sq. multisque Lacedaemoniorum solum vertentibus et ad Romanos confugientibus, Callicrates et Diaeus Romam ad eos accusandos profecti sunt. Quo in itinere Callicrates morbo diem obiit. Diaeus autem ex Italia reversus, non exspectato legatorum Romanorum ad res componendas missorum adventu, bellum Lacedaemoniis intulit, frustra prohibente et dissuadente C. Caecilio Metello. Hic praetor tum pugnabat cum Andrisco, sive Pseudophilippo Macedone. Quae res cum gesta sit A. 603 et 604, Callicratem potius A. 603, quam praecedenti obiisse existimem. Utut est, certe statim post acceptam de morte Callicratis nuntium illud accidisse videtur, quod in fragmento, cuius caussa haec disputatio instituta est, narratur. Hoc enim amoto vicisse eam factionem quae Romanorum imperia ferre nolebat, ea quae deinceps acciderunt et Graeciam pessum dederunt satis docent. Hinc etiam honores exulibus restituti, qui eis per Romanos et Callicratem ademti fuerant, hinc Lycortae statuae ex latebris obscuris, in quas antea a Callicrate detrusae fuerant, in lucem et solem productae, et quo antea steterant loco positae sunt, Callicratis autem, quem odio et exsecratione dignum iudicabant, simulacra in eundem locum sunt detrusa, ex quo Lycortae statuas protraxerant. Hanc olim ignominiam facto plebiscito Lycortae inusserat Callicrates, nunc pari plebiscito ipse iisdem honoribus privatus est. Hinc hominum

num observatio nata de mutatione fortunae et superbiae poenis. At quomodo haec, quae lege facta sunt, accidere potuerunt κατά τι σύμπτωμα, aut quid tandem illa significabit oppositio formularum κατὰ σκότος et κατὰ τὴν ἡμέραν? Ut publicus honor, sic publicum quoque, ut puto, dedecus fuit, nec sane tantum ignominiae Callicratis detractum voluerunt, ut noctis eam tenebris tegerent. Ergo illa verba κατὰ τὴν ἡμέραν glossatori deberi arbitror, qui illud εἰς τὸ φῶς praecedenti κατὰ σκότος oppositum atque *interdiu* explicandum existimabat. Tum ab initio reponendum videtur κατὰ τὸ σύμπτωμα τοῦ Καλλικράτους, τῶν εἰκόνων αὐτοῦ εἰσφερομένων. Sic sensus futurus est: *cum per casum mortemque inopinatam Callicratis statuae huius in locum tenebricosum inferrentur, Lycortae vero in lucem producerentur, quemadmodum res ab initio fuerant, hoc quod acciderat, omnes ad confitendum coëgit, superbiam quemquam in alios commonstrare non oportere.*"



University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED